

Quae sunt beneficia Spiritus sancti?

Beneficia ostendit appellatio. Vocatur enim sanctus non solum, quia sanctus est, sed quia ipse credentes sanctificat, hoc est lucem in eis accendit ad intelligendam doctrinam et assensionem confirmat et efficit motus congruentes Deo et excitat inuocationem et laetitiam in Deo acquiescentem. Zach. 12 vocatur Spiritus gratiae ^zet precum.¹⁵⁴

Cur dicimus in symbolo: „Credo in Spiritum sanctum“ et non dicimus: „Credo in sanctam ecclesiam“?

Soli Deo tribuendus est cultus fidei iuxta prophetae dictum: „Maledi-[78:] ctus, qui ponit carnem brachium suum.“¹⁵⁵ Cum ergo testamur nos in Spiritum sanctum credere, agnoscimus et confitemur eum esse verum Deum, sed omittitur praepositio, cum recitamus professionem de ecclesia, quia fides non nititur ecclesia, sed Deo. In symbolo Constantinopolitano verba hoc modo recitantur: „Et in Spiritum sanctum, Dominum viuificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Pater et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas, in^a vnam catholicam et apostolicam ecclesiam.“¹⁵⁶ Sed ibi praepositio „in“ non ad verbum credo, sed ad Spiritum sanctum refertur videlicet quod is locutus sit per prophetas in vnam catholicam et apostolicam ecclesiam. Significatur enim vnum eundemque Spiritum omnia egisse in veteri et nouo testamento contra eos, qui confinxerunt duos sibi quasi contrarios spiritus. Significatur etiam ecclesiam non esse vnus temporis, sed omnium aetatum inde vsque ab initio mundi propter vnum eundemque Spiritum.

^{z-z} Nicht in F, G.

^a Im Druck durch Versalien hervorgehoben.

¹⁵⁴ Vgl. Sach 12,10.

¹⁵⁵ Jer 17,5.

¹⁵⁶ Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum, in: BSLK 27,1–8.